

baptismo initiari potuisse viderentur. Ex his unus erat prioris ex fratre nepos, hos Patres nostri perhumane exceptos multa docuerunt, quæ ipsi etiam eorum Rabbini ignorabant. Et de adventu Messiaæ edocti, ejus effigiem, in ara expositam, singuli adorarunt, quo ritu solet ab ipsis Christianis fieri. Doctrinæ Christianæ compendium, & alios de nostræ fidei rebus libros jam Sinice loquentes à nostris acceperant, & ad suos detulerunt. Hi tres de sua lege multa querebantur, eam ad interitum vergere patrii jam sermonis ignorantia, & brevi se futuros omnes aut Saracenos aut Ethnicos. Dicebant Archisynagogum illum jam ætatis vitio periisse, filium hæreditario jure parenti suffectum juvenem, & suæ legis esse omnino imperitum. Querebantur etiam turpe sibi videri in pereleganti templo nullam se imaginem habere, sed neque